

Recita secundum^g articulum.

Et in Iesum Christum Filium eius vnicum dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria [56:] [Holzschnitt: Kreuzigung Jesu mit Maria und Johannes^h (Joh 19,26f)] virgine, passus sub Ponitio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos et mortuos. 5

Quae continentur in hoc articulo?

Duo praecipue: primum descriptio personae Christi, alterum beneficia seu opera pertinentia ad officium huius redemptoris. Ea vero in triplici sunt discrimine: alia sunt praeterita vt incarnatio, passio, mors, sepultura, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio ad coelos, [57:] alia praesentia vt seßio ad dexteram Patris, alia futura vt reditus ad vniuersale iudicium. 10

In quibus consistit vera agnitio Christi?

In duobus: in agnitione personae et in agnitione officii. De vtroque inquit Esaias cap. 53: „Noticia serui mei iusti iustificabit multos.“⁹³ 15

Quidⁱ est persona Christi?

Vna est persona Christi, sed naturae sunt duae, diuina et humana. Diuina λόγος nominatur, quae vere ab aeterno persona est distincta a Patre et tamen eiusdem essentiae, ὁμοούσιος cum Patre. Sed humana natura certo tempore assumpta est ex matre Maria virgine. 20

^g II.: D, F, G.

^h Fehlt in A, E; nach secundum articulum: B; nach II. articulum: F, G.

ⁱ Quae: B, E.

⁹³ Jes 53,11.